Cracoviensis Studios. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. ordinis.
1641. commut. hiem.

Lacki Gaspari: Triumphus Palladis ingenuis adolescentibus primam in artibus liberalibus et Philosophia lauream capessentibus — dicatus.

TRIVMPHVS PALLADIS

INGENVIS ADOLESCENTIBVS
Primam in artibus liberalibus & Philoſophia lauream Capeſſentibus.


A

GASPARO ŁACKI, eiuſdem laureæ participe, & triumphi conſorte, amoris & humanitatis ergo conſcriptus ac dicatus.

DECANATV
Excellentiſs: ac Doctiſs: Dñi,
D. PAVLI HERCII,
Canonici ac Decani S. ANNÆ, &c.
Anno à partu Virgineo, 1641.

CRAC. *In Officina Typ. Valeriani Piątkowſki.*

In Stemma Domus KOLACZKOVIANÆ.



Pignora Sarmaticos decorant ſatis inclyta fines
Progenies quibus eſt clara KOLACZKOVIÆ
Huius clara fuit ſemper prudentia gentis
Clara fuitq; domi, clara fuitq; foris.

Perilluſtri & Admodum Reueren: Domino,

D. IACOBO KOŁACZKOWSKI,

Eccleſiæ Cathedr: Crac: CANONICO.

Synodali Iudici S. R. M.

SECRETARIO. &c.

Domino & Mœcenati Amplisſimo.

MVlta ſunt equidem Perill: ac Adm: Reuer: D. quę me ancipitem et ferme in biuio hęrentem; quemnam operi meo pàtronum ac tutorem quęrere debeam (ſi tamen operis nomine vocandum eſt) ceu Fauonio quodam, dum vultum tuum Perilluſtr: et Ad: Reueren: Dńe, in ſpeculo veluti contemplor afflare ac languentem corroborare videntur. Siue enim miram ac eximiam tuam Perill: Dńe. animo reuoluo ſapientiam; hęc quaſi occidentalis quidam Fauonius me reficit et recreat: ſiue oculorum in ſummam ac pene inauditam munificentiam conuerto aciem: et hęc ceu viſco quodam ne alio diuerti queam, me detinere videtur: ſi deniq; animi magnanimitatem conſidero, hæc aquilę veluti par

tus, altà semper petens, me quasi iure quodam impellit ac deuincit; Vno pro multis plurima in te sunt Perillustr. et Adm. Reueren. Domine quę meum partum titubantem ac dubium, ne diutius vagabundus hęreat, commonere videntur: Sed mirabêre forsan Peril. D. audaciam, quod grauioribus te distractum curis interturbare pręsumpserim: mirabêre et dedignabêre hanc meam exiguam et infantem Thaliam, quod ignota licet tuum in conspectum compare re ausa fuerit; timeo equidem, sed superat timorem, humanitas, et benignitas comparat noticiam apertus semper ad te Perill. D. aditus, qui vti nulli interclusus est nec mihi eundem occludi puto. Splendor enim anti quę et Perill. familię, et alię sexcentę quibus ceu Saphiris quibusdam lucet, virtutes, mihi Apollinis Oraculo certiorem spem gignunt, huius meę minime fore vota inania opellę. Accipe igitur Perill. et Adm. Reuer. D. hunc, quem Palladij milites peragunt triumphum: accipe corde fauente, siq; rudis et incultę Mineruę esse visus fuerit: tu Per ill. Domine dabis veniam, vt pote is qui vbi aliquod doctrinę cernas vestigium, etiam vel inuitus quasi innato erga literas studio fauere soleas. Accipe et iterum oro: ego quo ad aurâ hac communi vti concessum fuerit, strenuitatem Perillu. ac Adm. Reueren.

Dñe

D. quę in Te ita altissimis est defixa radicibus, vt nullâ vnquam vi aut labefactari, aut dimoueri possit subtiliori et suauiori chordâ pręcinere haud morabor: quin imo

Semper Honore meo semper Celebrabere corde:
Inter et Aonios Te celebrabo choros.

Perillustr: et Adm: Reueren.

D. T. deuotissimus cliens

Gaspar Lacki,
Eiusdem Laureę Cand.

PANEGYRIS
Almæ Matris Acad.

LAudabunt alii Magnorum facta virorum,
Laudabunt Martis bellica signa trucis.
Iactabunt alij Babylona, altasq; Colosos;
Pyramidum: iactent sed sua quiq;, iuuat.
Non animo vis illa meo, non hoscetriumphos
Suadet Calliope: versibus occinere.
Sed vult vt Matris quamuis non doctaCamæna
Laudes decantet: dicat & elogia.
Vnde melos igitur sumam, laudesq; Parentis?
Dic soror, & rudibus versibus ipsa faue.
Pessima barbaries quondam sua signa per orbẽ
Iam dilatabat, rexit & imperia:
Exul erat pietas, mores, virtusq; pudorq;, (rat.
Et probitatis honos, hinc procul omnis e-
Omnia prostrata in turpi squallore iacebant
Omnia, sed dicam verius, orcus erant.
Tum Pater altitonans vltra ne pestis amara
Serpere contendat, damnaq; plura ferat.

Rega-

Regales ănimos qui tollant barbara luce
Cælesti irradiat, nec datur vlla mora:
Extemplò Princeps Parnassum construit, atq́;
Addit Musarum Pieridumq́; Choros.
Constitit alma Parens Regum prognata fauore
Et floret meritis, Regia progenies.
Tum postquam erexit iam iam sua mænia latè
Extemplo bellat barbariemq́; fugat.
Vndiq́; concurrunt iuuenum satis inclyta turba
Ad Matrem: quos hæc corde libente capit:
Instruit atque animos insignibus artibus aptos,
Omnibus & pariter commoda mille parit.
Non redeunt vacui, nec sunt sine gramine cāpi
Illos namq́; Parens docta virere facit.
O quot iam celebres, & dignos æthere fructus
Prodidit hæc arbos nobilis atq́; virens.
Non potis est illos tenui celebrare Camæna
Quos vix ipse queat Publius occinere.
Alma Parens etenim Regali creta fauore
Quid non efficiat, iam nihil orbis habet,
Efficit illa viros, morum & pietatis honore
Conspicuos: facile & ferrea corda leuat.

Arti-

Artibus ingenuis est quorum maxima cura
Multis: hæc Mater excolit ingenia.
Edocet idiotas, fortunis donat egenos:
Agrestes homines non sinit esse feros.
Hîc pietas, virtus, moresq́;, pudorq́;, laborq́;,
Hîc vitæ probitas traditur omnimoda.
Sunt quos illa Ducum claros effecit honore;
Sunt quos affecit munere Pontificum.
Donat Sceptra aliis: tum quod nobilius, albo
Sanctorum, multos annumerare studet.
O felix genirrix, genitrix dignissima cælo
Regia progenies, Regia facta geris.
Princeps te genuit Iagello, verius inquam
Te Deus astripotens misit ab arce poli.
Ecce redis cælo: natorum multa referta
Copia, te Matrem Concomitatur ouans.
Sed nec dum properato gradū Carissima terris,
Et remorare, vt adhuc commoda plura feras.
Lucida Stella poli te Cantius admonet, illi
Vt plures socios mittere cara velis:
Et mittes, etenim iam Cantius omina monstrat
Prospera: qui amplexu te fouet vsq́; suo.

Fac

Fac igitur felix, æternos viue per annos
Cælo tum Lechiæ: florida viue, vige:
Et croceos signet dum Lucifer igneus ortus
Excrescat semper flos tuus: omen habes.

Perill. & adm. R̃ndo Doñ. OPATOVIO.

Auricomus Musis stipatus risit Apollo
Visa Opatouiâ luce micante solo.
Et fatus: niteat Regali hæc Cynthia Matri
In terris: & ei præsidium ipse feram,

Admodum R̃ndo Domino VSTIENSI.

Tempora clara manent piceâ caligine pulsâ
Vstia stella micat, tempora clara manent.
Tempora clara facit pietas, sapientia, Virtus
Ergo procul tenebræ, tempora clara manent.

ODE I.

V. D. Ioanni Łatkowic.

Pallas inuitat Apollinē veniat Spectator dū
Suæ cohortes triumphant victrices.
Phæbe, Nympharum genitor citato
Pallas exposcit properato cursu:
Vincit, illius generosa turba,
Cerne triumphos.
Vincit en Matris rigidos labores
Illius cætus: superat pericla,
Victor; & iuste graditur reuinctus
Tempora lauro.
Primus incedit spolijs grauatus
Laudis: assistunt lateri sorores
Gratiæ blandæ, Charitesq; suaues
Ante recurrunt.
Ipse Cæneus numero Deorum,
Ecce stipatus, cupiens triumphos
Laureatorum iuuenum videre
Linquit Olympum.

Mox

Moxque adeſt: mirum iuuenis probatq́;
Lątkieuû certè Hectoreum vigorem,
Laudat & dotes animi eius altas,
Non ſine plauſu.
Ergo quem Pallas genitrix & altrix
Artium: nobis hodie Coronâ
Laureâ præbet decoratum, eam nunc
Geſtet amænus.
Geſtet: & victo Herculeo labore
Semper incumbat, ſuperet ſequentes
Plurimos, qui ſe faciant in æuum
Viuere Phæbo.

ODE II.

V. D. Ioanni Noſzkowic.

PArs Gazas & opes captant Lybicoſq́; triũphos
Pars vult Mauortis ſigna cruenta ſequi:
Collaudat Cererem pars florea ſerta gerentem
Altera feſtinat pandere vela ratis.
Pars currit felix Academica Sceptra tueri

Quorum præſidio tuta manere queat:
Cuius de numero lauro procedit amænus
Florigerâ cinctus tempora Noſzkouius.
O felix iuuenis: ô felix nate Mineruæ
Quâ duce mox fies notus vtriq; polo.
Non te deſidiæ ſeducat falſa voluptas
Non te deuincant otia: clarus eris:
Talibus haud etenim nulli donantur honores,
Cum miſero illorum corpore, fama perit.

O D E III.

V.D. Auguſtino Węchalski.

Munera ſæpe dedit victoribus inclyta quō
Roma: nec hinc vacuus (dam
Victor abibit ouans: noſtras Academia ge-
Præmia digna ſatis: (ſtat
Victoremq; beat, meritâ decorando coro-
Donat vtrâq; manu: (nâ: &
Donat vtrâq; manu: quem cernit ferre la-
Aſſiduos: quis enim (bores
Ampla

Ampla ſatis neſcit conquiri dona labore :
Cuncta labor ſuperat.
Omnia præſtitit hæc Charitum Veneranda
Digna propago Ioue : (propago
Deſidię innumeras vicit Mauorte phalāges;
Laurea ſerta notant :
Iurè igitur Victor, iurè procedit amænus
Florea ſigna gerens.
Florea ſigna gerit, longos vt nomē in annos
Floreat atq; decor.

O D E IV.

V. D. Ioanni Sczęchowic.

Quid Bellona ferox ſigna per àéra
Expandis? rigido cur ſubito es comes
Grauido? iuuenes allicis ad tua
Eccur dura negotia :
Turbas Palladios grati & Apollinis
Aſſeclas : capiant vt tua pignora
Celans grande virus mellis imagine

Falsâ; plurima fers mala.
Sed non decipies progeniem alitis
Cenei, quæ oculos dirigit; aureos
In Solis radios: ne minimum tamen.
Lucis copia eí nocet.
Non te progenies Palladis inclytæ
Non te Sczęchouius constituit sequi
Fidelis Charitum Theseus, inclyta
Illarum cupit otia.
Dictis dura negas siq; fidem meis
Lauri cerne comam frondibus vndiq;
Cinctam: siq; negas: florida adorea.
Testis quam manibus gerit:
Fallax ergo tua est spes: & inania.
Certe vota: nihil proficua hîc manes;
Iam iam Pierios consequitur Choros
Non te, nobilis indoles.

O D E V.

V. D. Gabrieli Wacławowic.

Gra-

Gratiæ, Nymphæ, Charitesq; blandæ
Nunc cito terram properate cursu
Dum coronatur Soboles Mineruæ
Ducite gressus.
Vota sunt fratris, pariter Sororum.
Vota sunt Matris, decorare Natos
Quos decet virtus, decus, atq; nomen,
Fama superstes:
Cæteros inter decorandus vnus
Multa qui tempsit placida: & labores
Solius magnos animo secutus
Palladis æquo.
Nec tamen frustra labor, hic receptus
Mille portat præmia, nec caduca:
Gloriam, verum decus, atq; famam,
Nomen, honores,
Qui (licet corpus subitò putrescat)
Floridus semper moriturus vnquam
Fata nec quicquam trepidat, nec atræ
Spicula Clotus.

Ode

ODE VI.

V. D. Stephano Młynſki.

IAm iam reſumunt læta negotia
Finem: decus iam quemq́; ſuum manet
Nunc nunc labores præmijs iam
Muneribuſq; ſacris referti.
Iam iam phalanges Pieridum ſuæ
Turbæ, virenti tempora pampino
Cinxêre: Pallas iam iuuentam
Condecorauit: Apollo reſtat
Prolem ſuam qui debet honoribus
Dotare dignis: nec patitur moram
Reddit coronam laureatam
Quam peperit labor atque ſudor.
Iò canamus. dignus adoreâ
Iô loquamur: dignus Olympicâ
Hic arce, duros qui labores
Vicit, & ocia non ſecutus.
Sed iam quid vltra? quandoquidem tulit,
Lauri coronam: reſtat vt vnica

Læti

Læti loquámur voce, felix
Duc ferias Pylij, diesque.

Epigramma.

V. D. IOANNI KOPCIOWIC.

Conterraneo Charissimo ex primoribus VIII.

Munera larga tene: sublimes Phæbus honores
Diuitiasq́; parat: munera larga tene.
Munera larga tene, largos qui ferre labores
Assuesti: quorum præmia larga tene.
Talia namq́; decet te Kopcioui dona tulisse
Qualis sudor erat: largus at ille fuit.

Epigramma.

V. D. HIERONYMO BADOWSKI.

IAm Pallas vicit pacis vexilla per orbem
Compareant: Martis signa cruenta procul.

Sic eſt decretum ſic inclyta turba Deorum
Concluſit, meritô pange Thalia melos
Vndique ſigna vides lauri victricia: certam
Concipe ſpem victrix noſtra Minerua manet.

Epigramma

V. D. IOACHIMO LATKIEWIC.

IAm generoſa phalāx, poſt ſūmos ecce labores
Certâ quies: frondes ſigna quietis eant.
Ergo ne dubita: tempus dum læta quieſce
Poſt etenim primum, mox labor alter erit.

Ad Lectorem.

Sit licet incomptus (placide tamen accipe) ver
Illico comptus erit, ſi fauor adfuerit. (ſus

In Derisorem.

Si temnas tenuem propriam reuocato Came-
nam
In lucem: monſtret quid ſibi quæq; velit.

In Stemma Academicum.



Quæris famam & opes, Regalia conspice Sceptra
Multos diuitias hinc tenuisse scias.
Qualia Sceptra vides tales decet esse labores
Regius esto labor, gloria talis erit

Sub auspicijs Felicibus Mag: ac Ad: Reueren: Dñi,
D. STANISLAI PVDLOWSKI, I. V. Doctoris,
Præpositi S. NICOLAI in alma Acad: Crac. Studij
Generalis Vigilantiss. RECTORIS.

Ad Muſam.

Infans quid metuis lucem mea quęſo Thalia,
Quid trepidas fraudes: Zoilus omnis abeſt:
Quod ſi forte aliquis te carpere dente maligno
Intendat: precibus vincere cuncta potes.

Votum D. Ioanni Cantio.

CÆleſtis patriæ Ciuem depoſcere, metro hoC
Audeo: qui retulit iAm iam cæleſtia donA
Noſtris vt valeat teNebris concedere lumeN
Titan ſat niTidusquo reſplēdēte refulgēT
InclytaScep. ſuæMatrIs: cunctique triumphI
Vltima noſtr. phalāx illiVs gaudet in ortV
Sollicitans voce hac noStris Diue annue cæptiS